



00 662

294<sup>2</sup>  
qm.



37  
10

M E D I C A T I O  
I N F A N T I S  
**HYDROCEPHALI:**

*Q V A M*

Divino adjuvante Numine,

S U B P R A E S I D I O

*VIRI CLARISSIMI*

**D. H E N R I C I R E G I I,**

Reip. Ultajectinæ Poliatri, & Medicinæ  
ac Botanices Professoris Ordinarii,

*Publicæ disquisitioni exhibet*

**P A U L U S C H E S N E A U** Gallus.

*Ad diem 21. Februarij, hora 9 matutina.*



*T R A J E C T I ad R H E N U M ,*  
Ex Officinâ *I O H A N N I S à N O O R T D Y C K ,*  
*A N N O M . D C . X L V I .*

Pietate & Doctrinâ Reverendissimo, in utroque pariter  
Nobilitatis genere spectatissimo, conspicuo, per insigni,  
& celeberrimo Viro,

D.D. ANDREÆ RIVETO,  
S.S. Theol. Doctori & Professori,  
mirâdo & venerâdo Ecclesiastæ, ju-  
reque inter Orthodoxæ fidei Patres  
annumerando, Celsissimo D. Prin-  
cipi Wilhelmo à consiliis, tantæ  
Religionis Reformatæ faci, virtuti-  
bus theologicis revera coruscanti,  
omnium studiosorum, (conterra-  
neorum præsertim) azylo, Patrono  
& Fautori suo plurimum colendo,

*Has qualescumque studij sui Medici minutias, in submissi  
animi, maximis observantie debitæque gratitudinis  
vinculis, (ob innumera in se collata beneficia) ad stricti,  
impeditum non veretur offerre*

PAULUS CHESNEAU Gallus,  
Santo-Subizienlis.

M E D I C A T I O  
I N F A N T I S  
H Y D R O C E P H A L I :

I.

**P**uer triennis jam à duobus annis ingenti conspicitur capite, quod contactum molle sentitur, & digitis fortius pressum in fossulas subsidit, radiisque solis vel candelæ expositum pellucet. Sensibus est stupidioribus, & somnolentus. Quamvis bene edat & bibat, reliquo tamen corpore est macilento & pallido. Pulsus pro ratione ætatis debilior est.

II.

Afficitur in hoc infante caput, secundum partes externas, ut docet tactus: atque etiam secundum substantiam cerebri, quod sensus stupidiores & somnolentia indicant; & forsitan etiam secundum ipsos cerebri ventriculos, cum experientia doceat in hoc affectu sèpè magnam serosæ materiae copiam iis contineri. Afficitur etiam cor & totum reliquum corpus, quod pulsus debilis & macies totius corporis indicant.

III.

Morbus hujus infantis est Hydrocephalon, seu hydrops capitis; qui est intemperies capitis serosa, illud in magnum tumorem, mollem, & perspicuum, attollens.

IV.

**Causa** hujus morbi *prima* est intemperies frigida & humida cordis & reliorum viscerum, uti ex pulsu debili, & totius corporis colore pallido colligitur. Atque inde serosa materia, cum sanguine copiosior in visceribus sanguificationis genita, *antecedentem*

L 2

dentem huic morbo dedit causam; quæ, propter peculiarem va-  
lorum capitis debilitatem, poros ibi copiosius aperuit, & per  
diapedes in ac evaporationem extra vasa, partim intra cranium  
& cutim, partim inventriculos cerebri sese effundens, causam  
continentem huic morbo suppeditat; eaque cerebrum suo pondere  
gravando, nervosq; subjectos premendo, inducit somnolentiam;  
sensoria vero sensationi ineptiora faciendo, producit sensuum  
stuporem.

V.

Nec est, quod quis miretur, seruos humores in ipsis ventri-  
culis cerebri, salvis vel obtusis existentibus sensibus, copiosissi-  
mos posse contineri. Cum frequenter constet experientia aquas  
quam maxime copiosas ibi fuisse inventas, & substantiam  
cerebri ac ejus ventriculos in maximam capacitatem fuisse expan-  
sos, quod certè subito, ante hydrocephalorum mortem, fieri  
non potuit.

V I.

Sensus autem hic sunt superstites, licet obtusi; quia aquæ ibi  
contentæ, valde sunt spirituosa; ita ut magna illa spirituum,  
aquis istis mistorum, copia, cerebrum illud ingens, & tanto o-  
nere gravatum, possit attollere, cranium ipsu distendere, & nervos  
cerebro subjectos à nimia pressione vindicare, eosque ita aperi-  
re, ut spiritus, in nervos fluentes, illos sensationi qualicunque fa-  
ciant aptos.

V II.

Quod verò per medias aquas motus objectorum ad sensatio-  
nem faciendam possint transire, patet in piscibus, qui per me-  
dias aquas olfacti, audiunt, & vident: unde intelligimus,  
etiam per aquas cerebro contentas, motus objectorum sensoriis  
externis impressos, & in cerebrum delatos, ad sensorum com-  
mune, pro sensatione qualicunq; modo facienda, posse deferri.

V III.

Nec obstat, multos, ex subito humorum in ventriculos illap-  
su, in apoplexiæ, omnem sensum & motum adimentem, mor-  
temque accersentem, incidisse. Nam humores illi apoplectico-  
rum non erant spiritibns multis perfusi; sed crassi & tenaces, qui  
principia nervorum & poros cerebri sua crassitie obturantes,  
perni-

perniciem ægris accersiverunt. Et deinde magna est differentia inter humores subito in ventriculos cerebri collapsos, & paulatim sive lente ibidem collectos; nam humores apoplectico-rum, subito in cerebri ventriculos profusi, non expandunt cerebri poros, sed eos sua copia obturant. Contra vero, humores lente ibi collecti laxant paulatim valorum & cerebri poros, eosque ad spiritus transmittendum, aptos reddunt.

## IX.

Atque ex his jam constat, aquas istas in ventriculis cerebri existentes nihil obstat, quo minus spiritus animales in ipsis ventriculis, ad functiones animales peragendas, perpetuo gignantur. Illæ enim non impediunt, quo minus subtilissimi sanguinis hali-tus, qui spiritus istos constituunt, ex plexu choroide ibi existen-te, in ventricorum cavitatem copiose exhalent, & ita novos spiritus ibidem perpetuo producant.

## X.

Morbus hic est periculosisimus, tum propter ejus magnitudinem, tum propter principem partem, quam occupat, tum propter teneram infantis etatem, quæ generosa remedia, hic necessaria, ferre non potest. Nec tamen plane deserendus æger; sed Curatio tentanda. Præstat enim eam, licet incertam, aggredi, quam certo exitio ægrum exponere.

## XI.

Curatio consistet in aquatum è capite evacuatione, & intemperiei capitis & reliqui corporis per contraria correctione.

## XII.

Primò itaque præscribatur tale purgans:

R. syr. rosatisolutivi cum fol. sennæ vnc. ij.

cromoris tartari scrup. j.

scammonij scrup. ij. misce F. Syrupus.

De quo exhibeatur infanti cochleare unum, semel vel bis in die, pro operationis magnitudine.

Ersubinde ipsi porrigitur cochlear vini Hippocratici.

Deinde foveatur caput hoc fomento.

R. berb.

R. herb. calamenti,  
origani,  
pulegij,  
serpilli,  
salvie,  
betonicae,  
sabinae an. m. j.  
flor. comomill.,  
meliloti,  
stachados,  
antbos,  
anethi an. p. j.  
rosar. rubrarum,  
furfuris macri. an. p. ij.  
nucum cypressi. dragm. ij.

Decoquantur in lixivii, ex cineribus sarmientorum confecti, & vini  
ansteri partibus aequalibus ad lib. ij. F. Decoctum:  
quo cum pannis laneis vel spongiis intinctis foveatur  
caput infantis mane & vesperi.

Postea capiti exsiccatu sequens linimentum illinatur te-  
pidum:

R. pulv. absinthij.  
camomeli  
meliloti an. vnc. ij.  
butyri majalis  
olei camomillor. anethi an. vnc. iv.  
ceræ parum. Misce pro Linimento.  
vel R. mellis vulg. lib. s.  
pulv. origani m. j. s.  
salis comm. vnc. s.  
misce, in formam Cataplasmatis, capiti adhibendi.

Deinde caput roboretur hoc pomo odorato, natibus infantis  
frequenter adhibito:

R. casto-

R. castorei, benjoni,  
 pulv. rutæ. cyperi, galangæ,  
 nucis muscatæ an. dragm. ij.  
 styracis liquide dragm. iij.  
 subigantur cum s. q. aquæ rosar. in qua gummi tragacanthum  
 & arabicum maduerint, & fiat massa, guttis aliquot olei  
 cinnamomi & cariaphyllorum imbuenda, que informam  
 Pomi odorati concinnanda.

### XIII.

Si hæc morbo superando non luffecerint, cutis capitis erit  
 aperienda & sensim ex eo ducēda est aqua, quod ut tuto fiat, par-  
 vum vulnus cuti erit infligendum, eique cannula argentea, vul-  
 nuscule tam exactè respondens, est inserenda, ut aqua ex vulnere  
 egredi non possit, nisi inserta cannula prius fuerit aperta. Alio-  
 qui enim, si aqua cōfertim educeretur, certa pernicies, ob spiritus  
 copiosos cum multis illis aquis evacuatos, infanti imminceret.

Atque hinc jam patet, quam perniciosum illorum sit consi-  
 lium, qui ipsum cranium in hoc affectu perforari volunt.

### XIV.

Infans in aëre versetur calido, nutriatur pane bene fermenta-  
 to; ovis sorbilibus; carnibus pullorum gallinaceorum assis; jus-  
 culis, roremarino & salvia alteratis; Cerevisiâ, cum vino tem-  
 peratâ, motus, pro ratione tolerantiae infantis, sit moderatius.  
 A fletibus, quantum fieri potest, arceatur, & blanditiis demulcea-  
 tur. A somno nimio impediatur.

## COROL-

# Corollaria.

1. Cum ars & Natura iisdem nitantur principiis, nullam (ut opinor) heterodoxiam committimus, si ad Physiologicorum mysteriorum patefactionem, Technicæ imploremus opem.
2. Ex barba annos & ætatem hominis inferri incertum est: quia barba nec chronicum, nec demonstrativum signum est.
3. Pharmacopea & Chirurgia etiæ adificii medici bases, non sole tamen absolute Medico sufficiunt.
4. Prepostero illi procedunt ordine, qui studium medicum vel prætermittentes, aut in eos saltem Dromici nimis; in Pharmaceutico & Chirurgico toti sunt Peripatetici.
5. Nobiscum non faciunt, qui cum Arabibus, è temperamento- rum manipulo, temperiem ad pondus expunsum eunt.
6. Sine restrictione si loqui liceat, liberaliore mœnam, parcus ve- ro prandium probamus.
7. Gravitatem illam septentrionalium, mentis levitati quorundam Meridionalium (ut dicunt) oppositam, ad corporis molem, esculentorum & potulentorum, qualitates, aliasque externas causas, non ad particularem quandam nationem, referendam censemus.
8. Ex eo quod Medicinam artem dicamus, facultatis Medicæ splendorem minuendi, inde si quis ansam capessat; mentem male assequitur.
9. Alimenta in partes impelluntur, non attrahuntur.
10. Medicina tota est practica; itaque nullum ejus membrum est theoreticum.
11. Feminae coeientes semper emitunt semen in collum uteri.
12. Corpus parvum potest esse saluberrimum.

F I N I S.

-COROL



00 A 6396

ULB Halle  
002 928 167

3



Stra



M E D I C A T I O

I N F A N T I S

# HYDROCEPHALI:

Q V A M

Divino adjuvante Numine,

S U B P R A E S I D I O

V I R I C L A R I S S I M I

D. H E N R I C I R E G I I,  
Reip. Vlrajectinæ Poliatri, & Medicinæ  
ac Botanices Professoris Ordinarii,

*Publicæ disquisitioni exhibet*

P A U L U S C H E S N E A U Gallus.  
*Ad diem 21. Februario, hora 9 matutina.*



Naturâ & Industriâ.

T R A J E C T I ad R H E N U M,  
Ex Officinâ I O H A N N I S à N O O R T D Y C K,  
A N N O M. D C. X L V I.

um, borrag. bugloss.

diarbod. abbatis an. drag. s.

quo dragmæ duæ bisquotidie  
præbeantur.

Cibus sit liquidus, sorbilis, &

ra-

lo-

el-

: i-

oni-

reg-

-

emo-

, ve-

t à-

bem-

orig-

tall-

us è-

nus

entr-

almo-

tran-

di in-

sm.

est a-

illua-

tole s-

centi-

tide s-

